

f. XII
Q. XII, 24.

II n
1648

Q. D. B. V.
DISSERTATIO HISTORICA
De
OTTONE
MAGNO
PRÆSIDE
M. NICOLAO CHRISTOPH.

REMLINGIO,
publicè ad ventilandum proposita
ab

ANDREA Braunschweig/
Dondanga-Curlando.

H. L. Q. S.
Anno cl^o l^oc LXXX. d. Maji.

WITTENBERGÆ,
Typis CHRISTIANI SCHRÖBTERI.



144

O. D. B. N.
DISSERTATIO HISTORICA
OTTONE
MAGNO
M. MAG. CHRISTOPH.





Vlum est mihi experiri vires in argu-
mento historico, quod etsi neq; in-
genio, neq; stylo æquare possum, ta-
men vel qualicunq; conatu attingere ausus
sum, ac libros evolvi optimos & quoad potui,
omnia tractationis meæ capita inde desumsi,
nullus dubitans, quin æquum lectorem & ju-
dicem ea in re sim habiturus.

I.

Igitur hoc auspicator, ac Ottonem I. scribere aggre-
diar, qui magnitudine animi & meritis inter omnes
priorum retro seculorum Imperatores maximè eluxit,
& Germaniæ primùm decus Imperatorium intulit, Sa-
xoniam evexit atq; multis ornamentis auxit, remq; Chri-
stianam pariter omnibus modis amplificavit.

II. Otto hic in serie Imperatorum Germanico-
rum primus nominatur, ut ab Ottone Sylvio Romano-
rum Aboriginum Imperatore distingvatur, cujus nu-
mum celeberrimus *Magliabechius* Florentiâ huc trans-
misit, rarum ac diu quæsitum, & deinceps ex Johannis
Dominici Theupoli Patricii Veneti cimelio erutum atq;
expressum,

III. Neq; huc spectat Otto Dux Saxoniae, Otto-
nis I. Imp. Avus, de quo est apud Witechindum Mo-
nachum Corbejensem *lib. 1. annal. Sax.*

IV. Illud verò supervacuum est latè exponere, quòd Otto M. a Wittekindo M. per Wigbertum ejus filium, a quo veluta stipite, Bruno, Ludolfus, Otto atq; Henricus Auceps propagati sunt, rectà & continuâ ferie descendat. Vid. *Gobelinus in Cosmodromio et. 6. cap. 38.* & inter recentiores *Georgius Fabricius, Petrus Albinus, Elias Reusnerus, viri sine controversia rerum Saxonicarum peritissimi.*

Wittekindus M.

Wigbertus

Wittekindus II.

Bruno

Ditgremus, unde descendunt

|

Saxo - Wethinenses. Nam ex

Ludolfus

Wigberto descendentes in

|

universum interierunt.

Otto Dux

|

Henricus Auceps

|

Otto M.

V. Cæterùm Otto M. regiones atq; regna non uno atq; eodem modo consecutus est, quippe qui Saxoniæ Ducatum jure hæreditario, regnum Germaniæ jure mixto, id est, successione partim, & partim suffragio & electione, imperium autem Romanorum & Italiam jure belli acquisivit. Igitur derelictio huc non quadrat, & transactio cum SPQR, deinceps inita non erat necessitatis, sed ad afferendam Romanis religionem, eosq; arctius in conscientia devinciendos duntaxat comparata erat. Vid. *Regino in chronic. ad an. 936. & 962. Abb. Stad. ibidem. Flodoardus in Chron. ad ann.*

eosdem.

eosdem. Witicbindus annal. Sax. lib. 2. conf. Liuthpran-
du l. 4. c. 7. seq. Abb. Stad. add. ann.

VI. Cæterum Otto M. postquam Romanorum imperio potitus est, summum jus ac potestatem in Romanum Pontificem usu probavit, quando Johannem XII. exauctoravit, eiq; surrogavit Leonem Protoscriniarium, statumq; Ecclesiæ correxit, quod neq; Carolus Sigonius, neq; Cæsar Baronius dissimulare potest, *ille de regno Italiae libro VII. hic annal. eccles. tom. x. ad an. 963.*

VII. Neq; id Ottonis M. successoribus ademptum est, etsi Henricus V. electionibus Episcoporum & investituris ecclesiasticis fraude technisq; circumventus renunciavit. Vid. *Urspergens. in Chron. ad an. 1122.*

IX. Fuit autem Otto Princeps nulli veterum secundus, & præter fortitudinem ejus prudentia in omnibus vitæ Imperiiq; rationibus spectata est, partim quòd bella, quæ illo tempore gliscebant, civilia feliciter compressit, partim quòd externa cum Venedis atq; Hungaris egregiè confecit, partim quòd his omnibus ad exitum perductis, viam sibi ad transalpinum Imperium munivit, Germanosq; facto hoc submonuit, gloriam, quam bello fundassent, bello in posterum firmari oportere. In quam sententiam rectè & prudenter scripsit Ditmarus Merseburgensis lib. 2. Chron. *Temporibus suis* (Ottonis I. quem denotat) *aureum illuxit seculum*, quod etsi is ad argentifodinas tunc primùm Goslariæ repertas referre voluit, quippe quas sequentibus statim verbis commemorat, dum ait: *apud nos* (Saxones Cisveseranos) *inventum primùm vena argenti*: tamen nihil impedit, quin ad florentem illorum temporum statum & felicitatem imperii Ottoniani accommodemus. *Aureum* ergò hic sit idem, quod splendidum, felixq; & lætum i-

mitatione Romanorum, qui FELICITATEM SECULI multum & frequenter in numis exprimebant.

IX. Jure hic à Georgio Fabricio discedere necesse habeo, qui venas argenti ab Henrico Aucupe apertas, ab Ottone autem Magno primùm excultas fuisse putat, *Orig. Sax. lib. 2. p. 17*; Nam neq; id tradunt scriptores veteres, quibus hic standum est, & contrarium ex iis evincere mihi proclive est. Audiamus Frisingensem Episcopum, qui de Ottone *primus*, inquit, *venas argenti & aris, juxta civitatem Goslariam in Saxonia invenit, lib. VI. Chron. cap. 24.* Suffragatur Sigebertus Gemblacensis, ac directò etiam Fabricio contradicit, dum auctor est, Ottonem I. in terra Saxonica (prope Goslariam) auri & argenti venas primùm industriâ suâ aperuisse, *Chronograph. ad an. 968.* Eadem verba ex Sigeberto repetivit Johannes Nussiensis Monachus, *in magno Chron. Belg. p. 79.* Quinimo Witichindus Corbeiensis monachus his omnibus antiquior, & Ottonis I. ævo proximus scriptor inter laudes Ottonis M. numerat, quòd *in terra Saxonia* (non Misnia, ut quidam Ottonem divitem Misniæ Marchionem cum Ottone I. Imp. confundentes scripserunt) *venas argenti aperuerit, annal. Sax. lib. 3.* At qui argenti (nam de auro Witichindus & Ditmarus tacent) venas aperuit, & primus invenit, ante eum nemo alius dici potest aperuisse ac invenisse. Neq; hic dispiciam, an & quales aureos numos Otto faciendos curaverit: nisi quòd numum, quem in aquila Saxonica Joannes Palatius adduxit, paulisper excutiamus, in quo Otto I. his verbis apparet. OTHO. MAGNUS. IMP. SEM. AUG. *lib. XII. cap. II. pag. 157.* Ac primò libenter assumo, quòd is numus Palatio suspectus sit: deinde progredior ulterius, ac jure pronuncio, cum non modò suspectum, sed revera falsum esse habendum, quod Pala-

Palatius vel solo tituli indicio scire poterat & æstimare: etenim Otto I. magni titulum nec sumsit, nec gessit, quod ex tabulis & diplomatis ad omnes fere Regni Imperiiq; ejus annos promulgatis ostendit mihi & comprobavit vir de me optime merens CL. atq; amplissimus *Schurz- fleischius*. Ut de aliis *vobis* documentis nihil addam, quæ eò pertinent, ut numi vero antiquitatis pretio ponderentur, ne cum antiquitatem speciosè mentiuntur, rei antiquæ studiosis imponant: In quo genere doctrinæ sine probo & fideli peritoq; duce vix quisquam se expediât rectè atq; exolvat.

X. Dumq; id expendo, simul nec intempestivè forsan incido in diploma Ottonis M. quo privilegium Mantuæ Marchioni *Valterio de Gonzach* datum continetur, & sicut ab aliis, ita etiam a Palatio enarratur, *Aq. Sax. p. 109.* sed veritatem diplomatis præstare non potest Palatius, siquidem in eo testes citantur, qui ante annum 962. quo scriptum diploma vendit, fatis concesserant: præterea in scriptis horum temporum, quibus Otto I. vixit atq; imperavit, æqualibus nullum *Valterium de Gonzach*, cui diploma concessum esse perhibent, reperire licet. Neq; sola sequiorum temporum fama, quæ neq; fidem, neq; pondus veræ & sine specie fallentis vetustatis habet, instituto huic sufficit, ut quandam opinioni autoritatem circumdet, præsertim cum in subscriptione errores chronologici se prodant, qui vel soli ad arguendum illud diploma valeant, quos hîc refellere non placet, nec tamen committam, ut meâ culpâ falsi aliquid hîc admisceatur.

XI. Ad domestica propero, & quia hîc Imperator plurimas Ecclesias instituit ac locupletavit, nunc potissimum de Saxoniam dicam, in cujus parte Cisalbina is primus condidit metropolin, eamq; nomine & origine cele-

celeberrimam, quæ appellatur Magdeburgensis, ejus
annum foundationis, quod sciam, nemo hactenus certò ex
tabulis definire potuit: alii annum 967. nominant: alii
968. supputant: pleriq; remotiorem 948. asserunt:
atenim verò eum de inauguratione quæritur, iis accedo,
qui annum 971. Magdeburgicæ metropoli adscribunt,
quo & inauguratam hanc metropolin, & Adelberto tan-
quam primo ejus Archiepiscopo traditam fuisse colliga-
mus. Neq; id fugere potuit Cranzium, virum antiqui-
tatis Saxonicæ multò peritissimum, & Canonicum Ham-
burgensem, qui rectè & meritò ab anno 971. Adelberti,
quem contractè Albertum vocat, *ordinationem* (confe-
crationem) auspiciatur, *metropol. lib. 3. cap. 28. & ante eum
vid. Ad. Brem. H. E. lib. 2. cap. 7.* Rationes annorum con-
ficiunt alii alias, quanquam hic annum designationis &
ordinationis multi distingunt, quorum illum in an.
970. rejicit summus vir Jo. Conradus Diterichius, in Ot-
tone M. p. 145. Constituit autem, ut ei subessent eccle-
siæ Sorabicæ & Vendicæ, quæ longo satis tractu ab Albi
ad Panim usq; continentur, quam in sententiam scri-
psit Abbas Stadenfis. *Magdeburgensi, inquit, Archiepisco-
patui subjecta est tota Sclavonia usq; ad Penem fluvium.
Episcopatus suffraganei V. quorum Mersburg & Cicia su-
per Salam fluvium condita, Misna vero super Alliam,
Brandenburg & Havelberg interiùs vadunt, Chron. ad
an. 971.* Misnensis postea immunitatis privilegium ac-
cepit, ac *ingenua* evasit, primatûs autem dignitas, de
qua nihil vel invenire, vel eruere potuit Cranzius, Sec.
XII. beneficio Lotharii Saxonis supervenit, fuitq; jam
Ottonis M. ævo magna ejus Archiepiscopatus dignatio, a-
deò ut Benedictus VI. Adalbertum Germaniæ Patriar-
cham nominaverit. Atq; hinc Archiepiscopus summo
deinceps loco inter universæ Saxonie Antistites Princi-
pesq;

pesq; non - Electores fuit, etſi Salisburgenſis, multò antiquior, & conditus ſanè a Francis, nomine prærogativa litem movit, quod neq; diſceptare cupio, neq; huc pertinet, quia ille Archiepiſcopatus a rationibus Pontificii juris ad proteſtantium ſacra diſceſſit, & pace deniq; Weſtphalica magis commutatus, ac jure ſeculi donatus eſt, *Inſt. pac. Oſnabr. art. XI. ſimiliter. De reformatione ejus Archiepiſcopatus Conf. Tbuanus lib. 38. & Andreae Wernerii Chronicon Magdeburgicum, quod lingua vernaculâ A. 1584. Magdeburgi prodiit.*

XII. Rerum novarum cupidos ſubindè compeſcuit, & militarem famam fortitudine ac ſeveritate retinuit, militemq; non tam emit, quam legit, Saxonesq; & Germanos reliquos contra hoſtes excivit. Vid. *Witichindus annal. Sax. lib. 2. Ditmarus Chron. lib. 7.* Elegans demendæ ignominæ militaris exemplum apud Thuringos, quos juxta cum Saxonibus Otto M. ſub ſignis habuit, extat aq; *Zachariam Rivandrum Chron. Thuring. pag. 128.*

XIII. Nec modò Italiam Berengarii junioris tyrannide liberavit, ſed inter varios LX annorum caſus eventusq; bellis diſidiisq; intetiſtis agitatum in pacem reſtituit, & autorem ſuperiorum motuum Bambergæ ad perpetuum carcerem damnavit. Vid. *Cranzius lib. 4. Sax. cap. 9.* Fuit autem iſte Berengarius hujus nominis II. quem vulgò, at perperam indices III. vocant, cujus erroris exemplum paſſim, & nominatim in Indice Cranziiano, qui ad Saxoniam ejus dirigitur, extat.

XIV. At verò Imperatores & Reges Italiæ Langobardici ſanguinis inde a Carolo Craſſo fuerunt,

B

Vido

Vido Dux spoletanus,
Berengarius lenior,
Lambertus Vidonis Fil.
Ludovicus Bosonides, cujus numus insignis atq;
argenteus superest,
Rodulphus Burgundus, Conradi F.
Hugo Arelatensis,
Lotharius Hugonis F.
Berengarius II. junior,

Vid. Carolus Sigonius lib. 6. de regno Ital. Bernhardus Saccus in hist. Ticinens. Erycius Puteanus in hist. insubrica, quam proximè auctiorem reddidit emisitq; Knichenius.

XV. Tùm Patriæ causam semper & animosè tuendam suscepit, ac Lotharingiam, à Patre Henrico Aucupe Germaniæ vindicatam, postea Henrico fratri in beneficium addixit, *Frodoardus in Chron. ad an. 940. Supplementum Reginonis ad an. eundem.* Hoc postea amoto, Bajoarisq; regendis præfecto, Otho quidam Ricuini filius Ottonis M. auspiciis Lotharingiæ præfuit, qui postquam anno 944. mortuus est, ut habet ad hunc annum *Frodoardus*, deinceps Otto M. Conradum Generum Lotharingiæ imposuit, sed quùm is Lotharingos ad res novas impulisset, Otto M. iterùm Lotharingiam ad imperata faciendam adegit, *Sigebertus Chronograph. ad an. 945.* Tùm Brunonem fratrem, qui primus in Germania ecclesiasticum profanumq; munus conjunxit, cum potestate *Archiducis Lotharingiæ* in fines Austrasiæ dimisit, ut in Regno suo, in quo erat Lotharingia, *secundas partes potenter & industriè administraret*, *Sigebertus Chronogr. ad an. 959. atq; ex eo Monachus Nussiensis.*

XVI.

XVI. Multò alia fuit conditio Burgundiæ, quam Otto M. minimè reliquit intactam, & Regem ejus cum regno accepit in suam potestatem. Witichindus Monachus *Annal. sax. l. 2.* Secutus hæc vestigia Sigebertus scripsit: *Rex Otto Burgundiam sibi subjugat, ad an. 945.* Frodoardus de Ottone M. testatur, eum in potestate habuisse Conradum Regem jurensem, id est, Burgundiam, argumento supremi juris beneficiarii, si Scriptores ex Scriptoribus verâ & consequenti interpretandi ratione explicantur, *Chron. ad annum 940.* Diversus equidem, in Chronologia est Abbas Stadenſis, in re tamen consentiens, *abiit, de Ottone M. inquit, in Burgundiam, & Regem cum Regno accepit in suam potestatem, ad an. 941.* Cæterum Burgundia etsi hoc modo Germaniæ jure fiduciario obnoxia atque clientelaris facta est, nondum tamen in ejus provinciam est redacta, quod primùm accidit Conradi Saliqui tempore, quando Rudolfus III. Burgundionum Rex sine liberis decedens Conradum Imp. Burgundiæ hæredem instituit, eamq; regno Germanico illigavit, ut vera ejus germanaq; pars deinceps esset, & uno eodemq; etiam supremo dominio regeretur, & firmo perpetuoq; *subjectionis* nexu obligaretur, atq; hinc adeò *Cranzius* nomen *Burgundici imperialis* arcessit, *Saxon. lib. 4. cap. 37.*

XVII. Hungari quoque virtutem Regis novi experiri statuerunt, rati potentiam Ottonis attritam, Germaniæque vires exhaustas esse, atque uti feroces erant, sæpiusque erumpere assueti, moribusque barbaris Hunnorum genti, in quorum sedes concesserant, planè similes, nî deteriores, quod argumento est, ipsos Hunnorum cognomen ob fæditatem sui tulisse,

Franciam adoriuntur, Saxoniam pariter, si possent, invadere enitentes, quos etsi fusos fugatosque domuit Otto M., & ne fines Germaniæ incurfarent, injuriisque & vastationibus subinde affligerent, præfecturam Misnensem instituit, Hungariam tamen ditioni suæ non subjecit, quippe quæ suo jure semper innitebatur, nec quoquam modo addicta aut obnoxia Germanico Imperio fuit. Tradit quidem Scriptor magnæ auctoritatis & fidei *Frodoardus*, quod Hungaros quoque sibi subditos fecerit, ad an. 950. Atenimverò id neque clientelarem nexum, neque subjectionem civilem indicat, sed eò spectat, ut Hungari, qui fœdera Germanorum Punicâ fide colebant, & spe atque cupiditate prædæ illecti, nihil non hostile tentabant, victi domitiqve conditiones pacis, quas ab Ottone M. acceperant, servarent, armisque eò redacti, hoc se facturos pollicerentur, quod propriè de *Subditis* non potest dici, laxè adeò locutus est præstans ille & Ottoni suppar Auctor *Frodoardus Chron. d. l.*

XVIII. Bohemiam verò ditioni Germaniæ subjecit, & quanquam Wenceslaus propter eximias virtutes singularemque pietatem Ottoni M. percarus esset, qui hunc tam liberalem honorem ipsi habuit, ut Regis titulo decoratum tributo absolveret, hoc tamen effecit, ut Wenceslaus majestatem suam officiosè semper comiterque conservaret: Boleslaum verò, qui Wenceslai sanguine manus imbuisset, atque à Matre Drahomira ad scelus suscipiendum impulsus, Fratrem in æde sacra orationi intentum noctu trucidavit, huc redegit, ut honestis conditionibus promitteret obsequium, sacramentumque diceret, & Cæsari velut supremo

premo capiti morem gereret ac pareret. Quatuor pa-
cti capita enumerat doctissimus Olomuzensis Episcopus
Johannes Dubravius, quæ eò faciunt, ut commissa
piacula omnibus modis expiaret, & exules Christianos
ab exilio revocaret, iisque parceret, & sacra illis sua
permitteret, tributumque nuper remissum denuò Cæ-
sari solvendum reciperet, atque ei tanquam domino
fidem obligaret, in ejusque nomen juraret, *lib. V. hist.*
Bojemica. Ex antiquis videatur Witechindus Annal.
Sax. lib. 2. Supplementum Reginonis & Ditmarus Mer-
seburgensis.

XIX. Cum Polonis, quorum ditione tunc Sile-
sii, Quadi antehac appellati, continebantur, nullum
bellum gessit, nisi quod memorabilis receptæ religionis
Christianæ eventus eo tempore, quo Miecislavus illic
rerum potitus est, Poloniam nobilitavit, propterea
quod Boleslaus filiam suam despondere Principi Polo-
niæ aliâ conditione noluit, quam ejuratâ ante sponsa-
lia veteri superstitione, fideque Christianâ susceptâ,
ut adeò Dambrovka dotem pariter insignem & do-
ctrinam salutarem ex Bohemia adduceret, & utroque
modo locupletaret maritum atque illustraret. Nupta
enim Miecislavo, qui à Ditmaro appellatur Miseco, o-
men nominis, quo *bona* significatur, implevit, Sarmatas-
que a ferocia ad mansuetudinem Christianam revocavit,
apud *Ditmarum*, qui *Dobrawam* dixit, quam *Poloni-*
ci & Bohemici Scriptores Dambrowkam vocant, *lib. 4.*
pag. 89. Cromerus atque ejus Epitomator Salomon Neu-
gebauer hist. Pol. lib. 3. conf. CL. & Nobilissimus Joachi-
mus Pastorius Flor. Pol. lib. 1. qui de Miecislavo Christia-
nis institutis imbuto plura tradunt. Nihil hæc addam

de itinere religionis causa ab Ottone III. in Poloniam
suscepto, de quo videatur *Ditmarus lib. 4. pag. 83.*
Postea Misico Henricum II. Imperatorem omni fide
coluit, & cum aliis Slavorum Regulis ei Sacramentum
dixit, *apud eundem lib. 4. pag. 64. conferatur Brunne-*
rus Boj. annal. lib. 8. pag. 547.

XX. Ab hac digressionem ad Ottonem I. redeo, &
quid cum Haraldo Danorum Rege in parte finium Sa-
xoniam borealis egerit, statutum habeo breviter expla-
nare. Nam quum Pater ejus Henricus Auceps præfe-
cturam Slesvicensem instituisset, quæ non multò post a
Danis limitem rumpentibus everfa fuisset, quemadmo-
dum coloniam eò deductam funditus deleverant: Undè
ocasio causaque belli inter Ottonem I. & Haraldum or-
ta est, quæ exitum illi faustum, huic salutarem habuit,
quando Otto M. exercitu Haraldum adiit vicitque, & o-
mnem Cimbricam Chersonesum non tantum pervasit,
sed & Regem Haraldum ad imperata facienda & Reli-
gionem ritusque Christianos suscipiendos coëgit, bap-
tizato unà cum Patre filio Svenone, quem Imperator è
sacro fonte levans, Sveno-Othonem vocavit, hinc Dit-
marus etsi victoriam silentio prætereat, Ottonem ta-
men *Dacia*, non Ripensis aut mediterraneæ, de qua
vid. Ptolomæus Geograph. lib. 3. cap. 8. Jornand. de reg.
success. pag. 39. sed illius, quatenus Cimbricam Cher-
sonesum & Scandinaviam ambitu suo comprehendit,
potestque dici *Dacia Normannorum*, *Salutem* appel-
lat. *Videatur Abbas Stadensis ad annum 948. Ponta-*
nus rerum Danicarum hist. in Haraldo. Dissentit qui-
dem *Saxo* patriæ historiæ Scriptor satis disertus, qui
nimis autem studet gentis suæ gloriæ, etiam cum dispen-
dio

dio veritatis famæque suæ dedecore, & iniquum prodit
animum in Germanos, sed oblitus sui, & victoriam Ot-
tonis M. & Danorum conversionem ad fidem Christia-
nam fateri necesse habet, quando *lib. 10.* scribit, *Haral-*
dum rebus cum Imperatore compositis, quod nisi coactus
minimè fecisset, *consortium catholicae religionis am-*
plexum. Eo igitur tempore operâ Adaldagi Ham-
burgensis Episcopi conversa confirmataque Dania est,
inque tres Episcopatus distributa, Christianam religio-
nem constanter tenuit.

XXI. Nec quisquam magis ob tutandos Imperii fi-
nes sollicitus fuit, quando externam ambitionem re-
pressit, Gallosque jactantius locutos, ac bellum mina-
tos prudenti & festivo joco elusit, *apud Cranzium Saxon.*
lib. 3. cap. 23.

XXII. Summatim patriam fortiter & armis de-
fendit, Germaniamque irruptionibus & disidiis defor-
mem restituit, civium salutis atque incolumitatis stu-
diosissimus fuit, totque modis laceffitus nihil severè cru-
deliterque statuit, erga victos clemens, moderatus in
victoria, in adversis magnanimus, & ut strenuus erat
bellator, ita juxta pacificus, uti magnum laborem in
conciliandis Principum animis susciperet, sicque se ges-
sit, ut auctoritatem juxta in omni fortunæ statu
retineret, & exemplum omnibus augustis
successoribus proderet.

S. D. G.

94 T n 1645
HUMANISSIMO JUVENI

ANDREÆ Braunschweig / Curt.

Amico suo, Salutem dicit

C. S. Schurtzfleischius,

Historiarum Prof. Publ.

Multum in omni re valet industria, quam ratio & usus demonstrant, praesertim iis in doctrinae partibus, quae historiae & antiquitatum nomine continentur. Neque hic labor inutilis est, & prudentiae iudicioque apprimè servit, & mentem animumque perficit, ac bonum sedulumque elegantioris studii cultorem probat. In quo genere graviter te ostendis, & ductu exemplo Popularis Praesidisque tui multò doctissimi egregiè proficis, magnumque decus Patriae, & necessariis tuis ornamentum promittis, & honestissimo conatu jam tum spondes. Perge igitur, nec remitte diligentiam, & serva tenacem propositi animum, totisque ingenii viribus uno veluti laudis tenore ad metam contende, & quicquid utile inceptu atque exitu egregium est, moderante instituti tui rationes M. Remlingio, Viro mihi percaro jureque laudando collige tibi, & suavissimae Patriae benè ac feliciter reponere, ac omni diligentia literas atque studia elegantiora ornare, diligenter perge, & mihi etiam atque Musis animum recti studiosum in posterum serva, praemiaque longè uberrima & fructus adeò dulcissimos expecta.
∞ Isc LXXX.

ULB Halle

3

002 100 894



5 (0) 50

1011


Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak
LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



Faint, mirrored text from the reverse side of the paper is visible, including the words 'DIPLOMAT' and 'STADT-BIBLIOTHEK'.

